



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Articulus II. De Primitiis, & Oblationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

præstantes, quando ea faciunt, quasi sibi deberentur. De his plura Suarez *D. 23. de Censuris, sect. 5. num. 37. & D. 31. sect. 6. a num. 12.*

ARTICULUS II.

De Primitiis, & Oblationibus.

2644 **Q**uæstio est. 1. quid sint *Primitiæ*?
 R. quod sint primi fructus, ex agro suscepti, qui Deo offeruntur. Fuere in usu apud veteres Romanos, qui (ut scribit Plinius *lib. 18. c. 2.*) non gustabant novas fruges, aut vana, donec sacerdotes primitias libassent. Deinde in lege veteri Deuter. 26. jubentur Hebraei dare primitias: *tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo.* In lege gratiæ est præceptum de primitiis solvendis, ut habetur ex c. *Decimas. 16. q. 7. c. revertimini. 16. q. 1. & juxta Suarez tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 8.* notandum autem, primitias non intelligi à dignitate, ut debeant esse *optimi* fructus, sed *ordine temporis*, ut debeant esse illi, qui primò colliguntur.

2645 **Q**uæstio est. 2. qualiter *primitiæ* distinguantur à *decimis*? R. cum Lessio *l. 2. c. 39. num. 30.* distingui ex eo, quia illæ sunt primi fructus, decimæ sunt decima pars fructuum: deinde, quia primitiæ immediate offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ: mediatè verò, & secundario cedunt in usum ministrorum: decimæ proximè, & immediatè dantur sacerdotibus in stipendium sustentationis, ob ministerium spirituale; his præmissis:

2646 **D**ubitatur. 1. quo jure fideles teneantur solvere primitias frugum? 2. in qua quantitate? 3. cui? Ad. 1. R. in lege Evangelica olim fuisse præceptum juris solum Ecclesiastici, solvendi primitias sacerdotibus, & Ministris Ecclesiæ; colligitur ex c. *Præter. 6. dist. 32.* ibi: *Præcipimus, ut decimæ, & primitiæ, seu oblationes vivorum, & mortuorum Ecclesiis Dei, fideliter reddantur à Laicis, & ut in dispositione Episcoporum sint, quas qui retinuerint, à sanctæ Ecclesiæ communionem separentur;* sic Alexander II. & Gregorius VII. *in CC. Lateran. re-*

lato 16. q. 7. c. decimas. 1. ibi: Oportet autem congruentias, nos decimas, & primitias, quas jure sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere: quas fideles Domino præcipiente offerunt, juxta illud vaticinium Malachia: Propheta: *Inferre omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea.* Cæterum, ut notat Azor *p. 1. l. 7. c. 27. q. 3.* Suarez *cit. l. 1. c. 8. num. 16.* hodie hæc obligatio solvendi primitias, in plerisque locis per desuetudinem est abolita; quia cum principaliter ab Ecclesia fuerit decreta, propter competentem sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, idè, si illis aliunde, nempe ex decimis, & aliis oblationibus fidelium necessaria alimenta non desint, nihil verat, quò minus per contrariam consuetudinem obligatio solvendi primitias potuerit abrogari; ex quo etiam habetur ad 3. cui *primitiæ* olim solvi debuerint.

Ad alteram partem, de *oblationibus*, 2647
 quæritur. 1. quid, & quotuplex sit oblatio? 2. in quem finem fiant? 3. ex quibus rebus fieri possint? 4. an sint sub præcepto? 5. an acceptare illas liceat, quando fiunt à personis crimine infectis? 6. an eas acceptare possint Laici? 7. quæ sit poena detinentium oblationes? 8. ad quem pertineant oblationes factæ sacris imaginibus? Ad. 1. R. nomen *Oblationis* sumi posse tribus modis. 1. latè pro omni oblatione ad divinum cultum facta; & sic comprehendit etiam decimas & primitias; 2. pro omni eo, quod sive donatione inter vivos, sive mortiscausâ, aut alia ultima voluntatis dispositione Ecclesiis, vel piis locis à fidelibus offertur. 3. strictè pro eo, quod quis vel per se, vel per Diaconum ad altare offert, aut manus sacerdotis deserit; sic Layman *l. 4. tr. 6. c. 7. an. 1.*

Ad 2. R. *decimas* offerri Deo in recognitionem supremi domini, quod sibi in res omnes reservavit; *primitias* in gratiarum actionem pro primis fructibus ejus beneficio provenientes; *oblationes* strictè, religionis intuitu, & divini cultus causâ; licet postea in usum Ministrorum Ecclesiæ cedant. Ad 3. R. oblationes fieri possè ex iis rebus, ex quibus eas facere offerenti placet. Ad 4. R. non esse sub præcepto, nisi postulet necessitas ad susten-

sustentationem Ministrorum Ecclesiae; intellige oblationes strictè sumptas; secus enim est, si supponant pro decimis. Ad 5. R. si fiat à personis crimine infectis, non acceptari, si crimen, vel delictum afficiat ipsam oblationem; secus est, si tantum afficiat ipsam Offerentis personam, nisi nasceretur scandalum, haberet ex c. *Quia in omnibus*. 3. de usuris, ubi textus loquens de Usurariis manifestis, nec oblationes eorum, inquit, quisquam accipiat: qui autem accipit, reddere compellatur: & donec ad arbitrium Episcopi sui satisfaciat, ab officii sui maneat executione suspensus. Ad 6. R. negativè, ex c. *Causa*. 13. de V. S. ibi: *primitiae, decimae, & oblationes, in solis Ecclesiarum bonis praecipue numerantur*. Oblationes verò dicimus, quaecunque de propriis, & licitis rebus Ecclesiae à fidelibus offeruntur. Quicumque igitur eas per potestatem secularem obtinet, proculdubio contra Deum, & sanctorum Patrum nititur sanctiones: quinimò, & qui accipit, & qui tradit, raptor & sacrilegus iudicatur.

2649 Ad 7. R. cum Bonacina de Censuris extra Bullam D. 2. q. 2. p. 1. decerni talibus excommunicationem c. *penult.* 10. q. 1. ubi Calixtus Papa, *oblationes*, inquit, de Ecclesiarum altaribus, sive crucibus à Laicis auferri penitus interdicimus, & sub distinctione anathematis prohibemus; & c. *in ead. caus. & quest.* ubi Damasus Papa, *omnino interdiximus*, inquit, *ut nullo modo unquam oblationes, quae intra sanctam Ecclesiam offeruntur, sub dominio Laicorum detineantur*: sed tantummodo sacerdotibus, qui

quotidie Domino servire videntur, liceat comedere, & bibere: quia in vetere testamento prohibuit Dominus panes sanctos comedere filiis Israël, nisi tantummodo Aaron, & filiis ejus: qui panes longè erant ab istis panibus, qui nunc in sancta Ecclesia offeruntur; & infra: *si quis verò contra hanc regulam nostram, & contra regulam sanctorum* 318. *Patrum, qui in Niceno Concilio hoc constituerunt, temerarius presumpserit, & de cetero oblationes de sacris Ecclesiis auferre molitus fuerit, sub anathematis vinculo sit colligatus, & condemnatus.*

Ad 8. R. oblationes regulariter spectant ad eos, qui in tali Ecclesia, ubi fiunt, spiritualia ministrant, nisi aliud habeat consuetudo, pactum, vel voluntas offerentium. Et ideo Barbosa in c. *quia sacerdotes*. 13. *cit. caus. & quest. num. 2.* tradit, veriorem, & hodie receptissimam sententiam esse, quòd oblationes, quae sacris Imaginibus deferuntur, sive hujusmodi sacrae imagines posita sint in Ecclesia Parochiali, sive intra limites ejus, deberi Parocho loci; si in Ecclesia Cathedrali, Archipresbytero, qui curam animarum exercet: excipiuntur tamen oblationes in certum usum, seu finem, v. g. pro missis, pro fabrica, pro ornatu imaginis facta ex piorum offerentium voluntate; quia tunc non ad Parochum spectant, ut illas in proprium usum convertat, sed ut offerentium voluntas plenè adimpleatur; quamvis & harum administratio ad Parochum spectet, c. *Vulterana*, & c. *quatuor*. 12. q. 2.



QUAE-